

EXAMEN CENSURÆ

ticus Scripturæ non erit nisi sensus iste, quem Sp. S. sub æquivo-
cis vocibus Scripturæ intendit, & quem ab aliis, quàm electis suis,
intelligi non vult. Quantæ nugæ? Aut continebitur sensus, hic spi-
ritualis sub sensu literali, ut sensus Mysticus, Allegoricus, Anagogi-
cus, & Spiritualis, ita dictus Theologis sub sensu literali contineri
dicuntur. At sensus hi non sunt propriè sensus Scripturæ, sed sensus
eorum, qui sub verbis istis intentionem suam ulteriorem occultant,
quam clarè cognosci nolunt, ac propterea nulli ut sensus iste credatur
verbis istis subesse mandant, vel qui sensus suos, Scripturæ sensibus
aptant & accommodant pro suo arbitrio. Et quia Script. S. sensus
necessarij ad salutem jam non sunt mystici adeoque omnes ferè
sunt spirituales id est, spiritum & animum hominis spectantes, My-
stica & spiritualis ista Theologorum aptatio hic locum non habet,
nisi eodem modo Scripturam totam velis facere Mysticam, Allego-
ricam & Anagogicam. At sic, si omninò probatum foret Scripturæ
sensem Grammaticum & spiritualem intelligi posse à quovis ho-
mine, probandum deinde adhuc esset, Scripturam posse intelligi à
quovis, secundum Mysticum Allegoricum & Anagogicum sensum;
& species adderetur, quia inter priscos Ecclesiæ Patres non defue-
runt, qui sensum Scripturæ Allegoricum verum ac genuinum Scrip-
turæ sensum esse asseruerunt. Quis finis? Sed quocunq; tandem mo-
do sensum hunc spiritualem sensu Grammatico contineri dixerit
Censor, concludendum tandem ei erit, dogmata omnia Scriptura-
rum, quæ quidem ad salutem cognitu sunt necessaria, semper dupli-
cem continere sensum. Unum, qui intelligi potest ab homine, eti-
amsi animalis tantum sit; alterum, qui ab eo intelligi non potest:
quo quid vanius & insulsius dici potest, aut concipi? Sc enim ex:g:
dogmata ista, quæ in Scripturis exstant, *Deum esse, Deum esse unum,*
æternum, immensum, omnipotentem, omniscium, Jesum Christum esse
verum Deum & hominem in una eademq; persona, pro peccatis nostris
mortuum, Fide in illum nos justificari, sobriè, piè, justè in hoc seculo vi-
vendum esse, non esse furandum, adulterandum, concupiscendum, &c.
omnia ista & similia dogmata necessaria, duplicem habebunt sen-
sum, grammaticum unum & spiritualem alterum, & illum naturali
modo adsequi poterit homo animalis, hunc nò poterit. Id si ita se ha-
bere credit Censor, explicet itaq; quis propositionum vel dogma-
tum istorum sensus literalis sit, quis spiritualis; Citius credo, sensu
omni se destitui intelliget, quàm rem aded absurdam explicaturus
est. Quod si sensum Spiritualem secundo modo accipiat, quia vid:
menti

menti